Theses,

quas

Affulgente Div. Gratia

et

Consentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lund.

pro

Examine Pastorali

modeste submittit

CAROLUS GUST. PALM,

V. D. M.

Die XII Junii MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Verba Pauli in epistola ad Romanos, Cap. 2: 16. ὅτε κρίνει ὁ θεός τά κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων etc. per parenthesin esse explicanda, celeberrimo Tholuck præeunte, lubentissime censeo; quoniam regulæ grammaticales docent, particulas δε, τε vel γαρ parenthesin aperte indicare, et hanc sententiam corroborare videntur. Confer epist. ad Hebr. Cap. 7: 20. et ad Rom. 1: 20.

Th. II.

In versiculo initio Capitis octavi ad Corinth. epistolæ IIdæ explicando forsan necesse sit addi verbum ἦσαν sive εγένοντο ad αὐθαίρετοι; nam exinde fit, ut ανακολουθον illud, quod alii hoc loco voluerunt, ex serie exemplorum ejusdem generis exstirpetur.

Th. III.

Non bene, me sentiente, explicat Schott verba Paulina 2 Cor. 13: 7. οὐχ ἵνα ἡμεῖς δοκίμοι φανῶμεν, ἀλλ᾽ ἵνα ὑμεῖς τό καλὸν ποιῆτε ne ego debeam (Jesu legatus) comprobari, sed ut etc. Potius dixerit Apostolus: Curæ soli cordique mihi est, ut vos fiatis boni, (Christiani), minimeque, ut de munere meo Apostolico gravissimo glorier.

Th. IV

De vocabulo ψυχή, quod occurrit in act. Apost. 2: 27. variæ sunt recentiorum sententiæ; sed illorum potissimum fovendam esse puto, qui *animum* per ψυχήν significari judicant. Vix enim exemplis vocabulum, quod novimus, nec pleonastice, nec periphrastice usurpari, vel cum pronomine personali conjunctum, satis probari potest.

Th. V.

Antequam sive ad supplicium condemnatos sive improbos, qui in carcere tenentur, aggrediuntur concionatores, quorum est et erudire et convincere miseros illos; certum quoddam, præsertim de illorum ingenio, moribus et educatione cognitum habere debent; quod quidem multo labore, semper severitate et commiseratione inter se conjunctis, acquirendum est.